Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35037
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

nullo modo posse crederet. subito cohorti imbris beneficio tutus fuit a dampnatione. Discussa enim questione aliam velud diis interpellantibus de integro instaurari non placuit. Ita cui maritima tempestas cause dictionem contraxit. celestis salutem attulit. Eodem auxilii genere tacite virginis vestalis incesti criminis ree castitas infamie nube obscurata emersit. que conscientia certe sinceritatis sue spem salutis ancipiti argumento petere ausa est. Arrepto enim cribro. Vesta inquit si sacris tuis castas semper admovi manus effice ut hoc hauriam e tiberi aquam et in edem tuam perferam. Audaciter et temere iactis votis sacerdotis rerum ipsa natura cessit. Item L. piso a C. claudio pulcro accusatus. quod graves et intollerabiles iniurias sociis intulisset. haud dubie ruine metum fortuito auxilio vitavit. Namque per id ipsum tempus quo tristes de eo sententie ferebantur repentina vis nimbi incidit. Cumque prostratus humi pedes iudicum oscularetur. os suum ceno replevit. Quod conspectum totam questionem a severitate ad clementiam et mansuetudinem transtulit. quia satis iam graves eum penas sociis dedisse arbitrati sunt. huc deductum necessitatis. ut abicere se tam

suppliciter aut attollere tam deformiter cogeretur. Sub eadem duos accusatores suos culpa absolutos. Q. flavius a C. valerio edili apud populum reus actus. cum quatuordecim tribuum suffragiis dampnatus esset. proclamavit se innocentem opprimi. Cui valerius eque clara voce respondit. nichil sua interesse nocens an innoxius periret. dum modo periret. Qua violentia dicti reliquas tribus adversario donavit; abiecerat inimicum; cum eum pro certo pessum datum crederet. erexit. victoriam que in ipsa victoria perdidit. Gaium quoque cosconium servilia lege reum propter plurima et evidentissima facinora sine ulla dubitatione nocentem. valerii valentini accusatoris eius recitatum in iudicio carmen. quo puerum pretextatum et ingenuam virginem a se corruptam poetico ioco significaverat eripuit. Siquidem iudices iniquum rati sunt eum victorem dimittere. qui palmam non ex alio ferre sed de se dare merebatur. Magis ergo valerius in cosconii absolutione dampnatus quam cosconius in sua causa liberatus est. Attingam quoque eos. quorum salus obruta propriis criminibus priorum claritati donata est. A. attilium calatinum soranorum oppidi proditione reum ad modum infame imminentis dampna